

Francisci Josephi Kern ... Dissertatio inauguralis medica de infallibili remedio prophylactico siphyleos ... / [Franz Joseph Kern].

Contributors

Kern, Franz Joseph.
Furstenberg Collection.
Universität Freiburg im Breisgau.

Publication/Creation

Friburgi Brisgoviae : Typis Joannis Andreae Satron ..., 1777.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hc4zjyv3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Sept. 19/19

61679/19

FRANCISCI IOSEPHI KERN,

LOEFFINGENSIS HERCYNIANI,

A. A. L. L. ac Philosophiae Magistri

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE INFALLIBILI
REMEDIO
PROPHYLACTICO
SIPHYLEOS,

QVAM

SVB REGIMINE ACADEMICO

Plurimum Reuerendi, Illustris ac Magnifici Viri

D. MATHIAE DANNENMAYER,
SS. THEOLOGIAE DOCTORIS, AC HISTORIAE
ECCLESIASTICAE PROFESSORIS PVBLICI,
ORDINARIJ,

AVCTORITATE ET CONSENSV
INCLVTAE FACVLTATIS MEDICAE
pro summis in medicina honoribus
legitime obtinendis

PVBLICAE DISQVIGATIONI SVBMITTIT
IN AVLA ACADEMICA MAIORI
MENSE MARTIO ANNO M. DCC. LXXVII.

FRIBURGI BRISGOVIÆ,

Typis IOANNIS ANDREAE SATRON, Almae
Vniuersitatis Typographi.



347762

ILLVSTRJ,

Clarissimo, ac Experientissimo

D. THOMAE BOSCH,

Philosophiae, & Medicinae

DOCTORJ,

Serenissimi Principis

DE

FVRS TENBERG

CONSILIARIO AVLICO,

&

ARCHIATRO,

in singularis Venerationis

Documentum,

&

grati animi Testimonium

Dissertationem hanc

D. D. D.

AVCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library




DISSERTATIO
INAVGVRALIS MEDICA
DE
INFALLIBILI
REMEDIO PROPHYLACTICO
SYPHYLEOS.



§. I.

Effroenate in Venerem effusa est
aetas nostra, & obscoenae li-
bidinis simulacra primas sibi
victimas dolendo iure exposce-
re, ne dicam exposcere, sed
sua sponte coram turpissimis idolis eas accumu-
lari tristic temporum nostrorum experientia fa-
tis clare loquitur! Infame dominium, quod
A pro-



propudiosa Venus in mancipata sibi corpora vnquam exercuisse legitur, hisce fere saeculis reuiuiscit, & quibus aut pudor, aut religio imperare non potuit, hos in obscenae feruitutis testimonium execrabile virus graui plaga persequitur.

Non periculosior aegroto, quam tristis medico occupatio est, putrida peccatorum vlcera eluere, & prohi dolor! saepius ad relapsum duntaxat infirmo vires reuocare.

At vero: officio suo perfungitur medicus, cumque is, quod suarum partium est, impleat, nihil propterea in obseruandis praeceptis cum aliis dispensat.

Eo, quo hodie ambitu Medicina *a)* percolitur, duplex ea officium medico imponit, & non affectis modo, sed & sanis corporibus, illis quidem reparandis, his suo in vigore, ac tenore conseruandis cultores suos assidue occupat. Praeclarissime hanc ob rem immortalis BOERHAAVE *b)* " Medicum esse, atque haberi, inquit, eum, qui & corporis humani sanitatem tueri, & infestos eidem morbos propulsare nouerit. „

Suffragantur huic Clarissimi auctoris testimonio vna omnes, quotquot eximiae artis huius

a) GAUB. institut. patholog. §. 9. & 10.

b) Orat. I. de commend. stud. hippocrat.

ius peritia commendat, nec eorum quempiam reperire est, qui minore sibi cura conseruandae, quam restituendae hominum fanitati inuigilandum censeat.

Peruulgata hac doctorum omnium, atque artis peritorum sententia, nulla iam attentione dignas existimo priuatas eas quorundam opiniones, qui communi omnium sensui refragari, atque omne a periculosissimis cuiuscumque contagii incurfibus humanum corpus praemunien-
di studium, vt friuolum ac superuacuum explo-
dere non verentur.

Quantum eiusmodi homines a vera aesti-
matione artis praeseruatoriae aberrant, vel in-
de fatis liquet, quod prophylacticam nullo non
tempore arti curatoriae etiam praeferri oportere
prudendum omnium iudicio visum fuerit.

Illud ego hic solum contendo, eum adhuc
perfectiorem artis suae gradum attigisse, suo-
que officio impensius satisfacere medicum, qui
non tam ad curandam, quam praecauendam,
adeoque praescribendam potius turpissimae Ve-
neris luem studia, & conatus suos conuerterit.
Nam vt nihil dicam, quod nullus sine dolore,
aut molestia morbus concipi possit, atque infir-
matas, debilitatasque vires nullo non tempore
relinquat, id tamen praetereundum minime est,
quod ipsa non raro pretiosissima hominis vita,
vel ab eo periclitetur, cui, si matura ope prae-



cautum fuisset, nihil eius periculi vel a longe imminere vidisses.

Tutius propterea esse asserit Clar. SENNER-TUS lib. VI. Cap. IV. “ Morbum praecauere, „ quam eundem curare: „ TUTIUS, quia ubi radices agere non potuit venenata zizania, nihil euellendum, TUTIUS, quia, ubi hostis appropinquare non permittitur, nihil pertimescendum est destructionis.

Impulit me hoc, ut de remedio quodam prophylactico, quod infestissimo huic generis humani malo, feliciter deinceps opponendum existimo, praesentibus hisce paginis breuiter differerem.

§. II.

Consuluit aliquando secum ipse pro suo, quo in sanctam religionem nostram ferebatur amore, vir in omni scientiarum genere, atque in ipsis adeo theologicis Celeberrimus, Illustr. ASTRUC: medici pietati, & conseruandae puritatis zelo, an non obesset, eiusmodi remedia, si qua forte reperiri possent, diuulgare, quibus impurum hoc virus sopiri, ac suffocari posset, priusquam externe in corpus grassari, idque foedissime deposcere inciperet.

At vero: tam parum morae, quam moliminis quaestioni subesse visum. Etenim: non licere solum, sed & obstringi se existimauit Clar. auctor,

auctor, ad ea omnibus communicanda. c) “ si
 „ qua forte darentur, inquit, libere dicam, &
 „ ingenue, videri: non modo licere medicis,
 „ quorum est opiferos esse, ea exhibere, & vul-
 „ gare, sed illos etiam, ne celarent, religione
 „ ipsa obstringi, cum ea ratione aduersus conta-
 „ gionis pericula praemuniri possent, quod in
 „ votis bonorum omnium esse debet, tot nu-
 „ trices, impuros, suspectosue infantes lactatu-
 „ rae, tot alumni ab infectis, suspectisue nutri-
 „ cibus lactandi, tot vxores, quae eae matri-
 „ monii debito cum maritis morbo contamina-
 „ tis tenentur concumbere, quibus omnibus
 „ accidit saepius, vt sine culpa in affectus ve-
 „ nereos miserrime incidant. „

Tam salutaris enimvero remedii abusus au-
 ctori tam parum imputari posse videtur, quam
 pulueris pyrii inuentio eiusdem repertori. Nae-
 ue propterea, laxiori froeno in libidinem prorui,
 quis obuertat, cum secus non minore iure etiam
 Therapeutica vetanda esse, non ita multis sane
 conclusionum ambagibus induceretur, ne vel ea
 saltem futurae curationis spes sceleri metum adi-
 meret, ac tenue, quo in pruriente aestu adhuc
 retrahuntur, filum abrumperet; “ Castius enim,
 „ & temperantius viueretur, vt putat Illustr.

A 3 „ ASTRUC,

c) ASTRUC. de morbis venereis Lib. III. Cap. 2.
 p. 210.



„ ASTRUC, d) si experientia semel compertum
 „ foret, venereos morbos remediis nullis supe-
 „ rari, ac infectis ineluctabilem, celeremque
 „ mortem semper esse obeundam. „

Tam licitum videlicet illustrissimo Viro videbatur, eiusmodi remedia luis venereae praefervatoria euulgare, quam impossibile eadem detegere, ac reperire. Felicius futurus abs dubio illis detectis, quam anxius in iisdem utpote omnium bono promulgandis.

Non absimili prorsus cum Illustr. ASTRUC ratione permotus haud sufficere sibi videtur Celeberrimus DE HORN, dum in prophylacticorum eiusmodi remediorum laudes satis ampla tamen paraphrasi excurrit.

Fatetur is equidem in suo, qui sub annum 1775. prodiit, libello: impossibilem sibi videri talis remedii inuentionem, quin tamen propterea Vir prudentissimus, quod suas superare vires experiebatur, aliorum pariter omnium conatus frustraturum perperam sibi persuaferit.
 „ Hinc siquidem aliquando possibilis sit, inquit,
 „ e) tam exoptanda prophylaxis, quae a contagioso Veneris ulcere humana corpora secu-
 „ re

d) De morbis venereis Lib. III. Cap. 2. pag. 211.

e) Exposition raisonnée des différentes méthodes d'administrer le mercure, dans les maladies vénériennes précédée de l'examen des préservatifs. Imprimé à Paris 1775. chez Monory.

„ re praemuniat, dubium plane non superest,
 „ quin ambabus eam manibus summi instar be-
 „ neficii amplecti, intensoque desiderio eam
 „ concupiscere aporteat. „ Quin quod prae-
 stantius est: postquam omnia ad id vsque tem-
 poris euulgata alexiteria reiecisset, & anhelan-
 ti animo incomparabile mysterium suspirasset;
 “ Eum, inquit, *f*) qui sua posthac industria
 „ id arcani ex apparentis hucusque impossibi-
 „ litatis tenebris protrahet, quo a terribilissimo,
 „ humano generi infestissimo luis venereae con-
 „ tagio praeferuemur, verum orbis benefacto-
 „ rem, conseruatorem, ac defensorem totius
 „ generis animalis habendum esse, atque co-
 „ lendum; per hunc fragilitati hominum con-
 „ suli, per hunc pacem in familiis firmari, quae
 „ incontinentia, & euagationibus toties distur-
 „ bata appareat, per hunc denique in posteros
 „ etiam salutem deriuari, quos a blande se se
 „ insinuantis toxici depraedatione sua ope, at-
 „ que consilio securos in dulcis vitae suauiore
 „ libertatem assereret. „

Tanti nimirum omnibus interesse existima-
 bat Cel. DE HORN, tristissimis vagæ veneris ef-
 fectibus occurrere, vt eum, qui id praestaret,
 a cunctis adorandum potius, quam culpandum,
 aut cuiuscumque impietatis arguendum fore
 arbitratus sit.

A 4

Quid-

f) Idem.



Quidquod Cl. CEZAN g) de celeberrimo Monspeliensi professore D. FIZES memorat: hunc in publicis suis praelectionibus palam asseruisse testatur, si quid remedii contra hoc virus occurreret, nihil morae in se futurum, quin id ocyus communicaret omnibus, vtpote quod nec Episcopi, aut Archiepiscopi Parisienses, quorum tamen consilium hac super re sedulo exploratus fuisset, improbarent, quin laudarent potius, cum non modo nihil mali subesse, sed & multum boni inde errui posse facile perspicere-tur, consulendo videlicet tot obstetricibus, nutricibus, infantibus, maritis &c. tam gravis mali periculum secus procul dubio toties incurfuris.

Suspirauere enimvero, & ardentibus nunquam non votis appetiere medicorum quique maximi tam pretiosum alexiterium, neque iis ipsis sufficientia unquam defuere motiua, quibus prudentem omnino votorum suorum rationem etiam posteris consignarent. Confirmat hoc non vnus facile testimonio Cl. CEZAN, NICOLAVM SENNERTVM, HERCVLEVVM DE SAXONIA, EVSTACHIVM RVDIVM, IVLIANVM PAULMIER, aliosque Clarissimos, atque experientissimos viros in medium adducens.

Patet

g) Manuel antifiphylitique, ou essai sur les maladies vénériennes, avec un préservatif des ces maladies. Imprimé a Paris 1774. chey Desvantes de la Doüé.



Patet itaque, & vnanimi horum omnium consensu satis comprobatum esse videtur, non tam de morali talis remedii aequitate, quam de physica eiusdem possibilitate dubitatum fuisse vnquam. Non licere tantum, sed & oportere, quo primum tempore compertum fuerit, id publici iuris facere, virorum iudicium est, quos an scientia, an religio magis commendet, non facile disquisieris.

Eiusmodi remedium autem non ad fouendam libidinem, sed ad solandam infelicem citra suam culpam infectorum sortem tendere debere, nemo quoque prudens inficias iuerit.

Quod mei hac in re propositi est, palam fateri non reuereor. Praefixum huic dissertationi meae scopum attigisse censebo, si arctiore saltem limite tristissimum hunc generis humani hostem coercere docuero. A tam salutaris vero remedii abusu, vti eum quidem mihi haud imputandum fore existimo, ita me ab eo sollicitum haberi neutiquam permittam. Suae cuiusvis conscientiae vlcus, quem a libidine non deterret, eundem neque per putrida in corpore suo peccati stigmata ab infami venere detentum iri, dolenda satis constat mihi experientia. Neque aliae propterea malorum species desunt, quae presso pede nefanda eiusmodi scelera insequi, & vtut sine aliorum innocentum praeiudicio acerbissimis omnino supliciis foeda



libidinis mancipia mactare soleant. “ Interim
 „ *h)* invigilent ii, ad quos cura de moribus per-
 „ tinet, vt coecos mortalium animos ab im-
 „ pudicitia auocent monitis, praeceptis, do-
 „ cumentis; liceat vero medicis, qui corpo-
 „ ris valetudini seruiunt, conciuens non modo
 „ a praesentibus morbis liberare, sed si qua
 „ forte daretur via, ab imminentibus in colu-
 „ mes, sospitesque praestare. „

§. III.

Inanibus, vt patet, curis, & quaestioni-
 bus se detinuissent auctores praestantissimi, nisi
 prophylaxeos illius possibilitatem, quam ipsi qui-
 dem e longinquo primum suspexerant, felicior
 aliorum conatus demonstrasset.

Primus autem, qui huic operi efficaciore
 animo se accinxit, clarissimus WAAREN *i)* erat,
 qui an ab AGYRTIS, an ex celebri Clarissimi
 FORDICE opere, quod sub annum 1769. recu-
 sum, ac vernacula nostra suo merito, & mul-
 torum bono donatum est, prima novae prophyl-
 laxis suae fundamenta hauserit, parum nobis
 interessere videtur. Id tamen negare nemo po-
 terit, eum deinceps non vno experimento no-
 bis ostendisse, quod, vbi primi adeo venerei
 affectus, morbique iam clare deprehendeban-
 tur; infallibili nihilominus securae opis testi-
 monio

h) ASTRUC de morb. ven. Lib. III. Cap. 2. p. 211.

i) Vid. criticam dissert. doctiss. Collegae Gall.



monio infidiosa Venus adhuc diffugere compulsa sit. At vero, qui temporum nostrorum mos est, vnica hac pretiosissimi remedii virtute non contentus insitis illi a natura viribus maiora exposcere, atque adultas omnes, inueteratasque gonorrhoeas uno, eodemque prophylactico compescere contendit. Fallebatur enim vero egregie vir caetera celeberrimus, dum primariis quoque a lasciuia venere excitatis affectuum, morborumque speciebus se occurisse existimabat, nisi eas inflammationis & exulcarationis omnis expertes, nec non recentes omnino adhuc fuisse perspexerit. Rationi enim, & experientiae contradicat, necesse est, qui inueteratos, aut inflammatorios iam iam morbos venereos irritantibus Clarissimi WAAREN remedii sanasse assereret.

Alexiterii eiusdem possibilitatem bienio facile ante, quam Clar. WAAREN id temere extendendo corrumpere, perspexit, vir in rimandis abditissimis naturae viribus solertissimus, atque ob hausta ab eodem solidissima medices principia perpetuo mihi colendus Clariss. MEDE-
RER. Quippe quem meritissimo iure eximium illud singularis famae praeconium manet, quod feliciori longe industria, testantibus *k)* etiam celeberrimis DE CRANTZ & WETSCH in oblato a Clariss. FORDICE remedii naturam indogauerit, atque

k) Vt eorum epistolae expressis verbis loquuntur.



atque de prospero experimentorum, quae ipse sedulus instituit, successu praevie conuictus, innumeris facile salutem partim attulerit, partim affecurauerit.

Antequam vero de arte praeservandi tam proficua agam, necessum esse videtur, ut infestissimi virus naturam examinem, & modum, quo in corpora nostra debachari assolet, breviter prius ostendam.

§. IV.

Veneri nomine ea omnia complectimur, quae siue sub sensus nostros cadant, siue eosdem fugiant, violentam tamen quocumque demum modo corpori destructionem minari solent. Quodsi visibilia ea sint, & vel deglutita, vel externe corpori applicata, indubiam ex se mortem accelerent, *venenum* proprie audiunt: si vero inuisibilia, & hos, illosue humores corrumpendo homini paulo lentius tam graue malum inducant, *miasma*, *virus* dicuntur. Atque de hoc in praesenti praecipue sermo nobis est, etenim sub malo, quod facile per contactum, facillime quidem per coitum in corpora traducitur, & traductum tristissima labe illa afficere, atque infami depraedatione ea paulatim devastare nititur, *virus venereum* intelligimus.

Venera fortissimo iussu, & nostro prudenti moderamine pridem in pharmacum abire debuerunt.

§. V.



§. V.

Virus venereum subtile prorsus est, nulloque sensuum acumine aut penetrari, aut chemica analysi eius natura hucusque explorari vnquam potuit. Lusit id non vnus iam chemici infelices plane operas, & quam parum se experimentis illorum subiicere teneatur, querulos frustrati laboris testes sat multos habet.

Eximia porro acrimonia praeditum illud esse, facillime ex eiusdem effectibus deducitur. Irritando enim se prodit, neque irritare vnquam assolet, nisi quod affectam saltem partem sua acredine diuexat. Verum hanc ipsam acrimoniam nec acescere, nec alcalinam, muriaticam, aut omnino ammoniacalem, sed mere veneream esse compertum quoque est: veneream dico: nam vtut ea peculiari prorsus indole ab his omnibus se distingat, in eius tamen naturam pluribus investigare perdit laboris opifitium esse existimo.

§. VI.

Caeterum quam arcto quoque affinitatis vinculo miasma venereum cum muco animali
l) connectatur, non vno facile experientio colligi-

l) *Sub muco*, eam constanter humoris speciem accipimus, quae blanda, lenta, ac in filia ductilis ad lubricandas, & ab acri defendendas
par-



ligitur. Praeterquam enim, quod acria omnia lentis quibusuis, & tenacibus humoribus sese vnire, promptoque quasi obsequio abiisdem obuolui deprehendantur, speciali tamen desiderio venerem in muco nidulari, atque in eo virulentae pestis primordia ponere compertum est.

Obferuationibus fane quam plurimis constat, virus venereum non nisi contactu, eoque immediato quidem in aliena corpora deriuari. Excipitur vero illud omnium primo a muco, atque tenaci eius viscositate irretitur, retinetur, ac figitur. Auctis autem ab assidua hoc mora viribus, omnem, quod inibi continetur mucum, in virulentam naturam suam paulatim conuertit. Mucum itaque praecipuum, imo vnicum venerei huius miasmatis pabulum esse apparet. Hoc veluti vehiculo solidis corporis partibus illud applicatur, in exercendis pestiferis suis effectibus sustentatur, & alitur, atque ad vlteriores deinceps progressus energicas plane vires, & subsidium acquirit.

§. VII.

partes animales inseruit. Talem prouidae naturae consilio maiori praecipue copia secerni aduertimus in naribus, ore, faucium cauo, atque in vtriusque sexus partibus genitalibus &c. vt internam earum superficiem ad debita sibi officia lubricam semper, & a laesione, quam muco destituta facillime subiret, immunem conferuet.

§. VII.

Primos vero actiuitatis suae effectus in illa potissimum parte manifestare assolet, in qua primitus infelici forte contractum fuerat. Virus muco irretitum solida sensilia muco illinita irritat, ad irritata maiorem humorum quantitatem allicit, eorumque, si organa excretoria vellica-uerit, largiorem excretionem, aut ex aduerso accumulationem, ruborem, dolorem, vno verbo inflammationem prouocat.

Lenta autem haec est inflammatio, & periodum suam tardo prorsus gradu percurrit, neque enim, vt in aliis morbis inflammatoriis fieri amat, tam prompta eam suppuratio insequitur, nec reliqui ipsius exitus tam cito absoluuntur.

Denique, quae natiua eius insolentia est, obsessas a se corporis partes sua acrimonia exedit, easdemque eximio doloris sensu percellit, qui ab inflammatione partim, partim ab arrodente illa acredine excitatur.

Exterior itaque in affectis partibus pruritus, vti securum internae irritationis indicium existit, ita & haec hostem intus latentem, & atrocioribus paulatim minis instantem prodit.

§. VIII.

Affectus & morbi venerei, qui vel in ipso, vel in loco immediato contactui proximo paulo post oriuntur, dicuntur *primarii*. Tales autem sunt



sunt Leucorrhoea, m) tumores varii, vlcera, excrementia.

Si virus per immediatum contactum in corpus traductum fuerit, & lacunas cryptas, glandulasque muciferas vrethrae virilis, aut vaginae muliebris irritet, stillicidium inde exortum puriforme ex partibus genitalibus in vtroque sexu depluens nobis *Leucorrhoea* audit.

Fluxus autem hic destillans quacumque ratione si supprimitur, alterutram, raro tamen vtramque epididymidem, multo rarius ipsosmet testiculos tumere, rubere, dolere obseruabis, quod vulgo *Leucorrhoea in scrotum delapsa* dicitur.

Si vero materies virulenta, acris, ex partibus genitalibus in vtroque sexu propullulet, indeque irritando tumor rubens, calens, dolens in praeputio penis, aut labiis vulvae enascatur, *phlegmone*, *phimosis* vocatur.

Praeputium praeterea retroactum si fuerit, & glandem ab inflammatione quasi strangulet, *paraphimosis*, cognominatur.

Si deinceps glandulae inguinales irritantur, inflamanturque, tumor inde exortus *Panus*,
Bubo

m) *Gonorrhoea* a Graeco vocabulo γονη semen, & ρεο fluo deriuatur, verum, cum in vtroque sexu mucus, non semen stillatim effluat, melius vocatur *Leucorrhoea*, quae ex λευχον album, & ρεο fluo componitur, ac fluorem album mucosum indicat.

Bubo est. Irritantur autem glandulae istae vel mediate, vel immediate: mediate quidem per consensum neruorum, quatenus quidam ex his irritati propter mutuam, quam cum neruis ad glandulas abeuntibus habent, communicationem, iisdem stimulis eas afficiunt: immediate: dum virus in ipsam illarum texturam deuehitur.

Quodsi partes obscoenae, vel quaecumque aliae epithelio tectae, aut a virulenta, quae in leucorrhoeis depluit, materie, aut a viru immediate illis applicato exulcerentur: exulcerationes hae *cancri* vulgo *chancres* nuncupantur. Maxime autem si in partium obscoenarum cute excrescentiae, dolentes, verrucosae appareant, *condylomata* generaliter, vel a varia, quam prae se ferunt, figura, *porrus*, *ficus*, *crislæ* appellantur.

Id vero genus excrescentiae subin a materie leucorrhoeica eas alluente, subin ab ipso met partium viru infectarum contactu oriuntur.

Atque istiusmodi porro affectus, & morbi pro *primariis* tamdiu quidem habentur, quamdiu hoc virus topicum adhuc est, & corporis aut functiones, aut structuram tntaxat laedit. Quamprimum id vero a vasis bibulis in massam humorum receptum, atque per omnes passim in corpore ambages circumactum fuerit, ad easdem veluti portas, per quas intrauerat, iterum reuertens & memoratos denuo affectus, morbosque repetens in *secundariis* versatur.



§. IX.

Postquam vero per vlcera , per exulcerationem , aut per poros absorptum in massam humorum transierit, & cum hac dein per totum corpus successiue circumuectum fuerit : mox, vbi affinem sibi mucum, inuenerit, cum eodem cohaerescens deponi solet, depositumque partes solidas tandem afficere, irritare, & secundum earumdem varietatem varia prorsus symptomata , & pro vario horum concursu variorum affectuum quoque, & morborum species procreare.

Virus hoc inimicum ad peripheriam corporis si transferatur, *scabiem*, ad vaginas tendinum, *ganglion*, ad ossa, *gummi*, *tophum*, *exostofin*, *hyperostofin* producet, vltius autem rodendo *cariem*, & si quidem erosio versus exteriora se exerat, *paedarthrocacen*, *spinam ventosam*. In ipsum autem osseum cauum si proferit, *osteocopum*, ad articulos, dolorem *artriticum* causat.

Vti & sensuum organa muco destituta non sunt ita etiam virus ad ea pertingens cum muco se vnire, & organa grauissime irritando diuexare consuevit. Hinc si tunicam coniunctiuam oculi affligat, *chemofin*, aures, *tinitum*, *inflammationes*, non raro *suppurationes*, & *abscessus* inde enatos esse experientia docet.

Si

Si vero nares obsideat, inde *coryza*, *inflammatio*, *ozena*. Si oris, & faucium cauum: *salivatio*, *aphtae*, *inflammatio*, *suppuratio*, ac denique *ulcera* obseruantur pessima.

Omniū autem maxime, vbi mucosam, & per alios praeuie morbos deprauatam (vti in cachexia varia v. g. chlorosi, scorbuto) humorum massam infecerit, faeuire incipit, & dirissima causare symptomata, *ulcera externa*, *interna* foedissima, *phtysin*, *mortem*.

Sub complexu tandem determinatorum quorundam symptomatum, quae istiusmodi affectus, & morbos venereos determinant, luem *veneream*, *celticam*, *gallicam*, *siphyliticam* intelligimus.

Cuius causam non nisi irritationi, eademque a viru peculiari exortae adscribendam esse manifestum satis est.

§. X.

Ad praeuertendum vero hoc, abigendumue tam graue homini malum gemina nobis superest indicatio. Prima est, vt efficaci alexiterio puri adhuc corporis, membra a contagiosa venerei miasmatis participatione praeseruentur, altera, vt communicatum virus, quontocumque suffocetur, & expellatur.

Illam quidem nemo hucusque perfecit, cumque mucum prius, quam virus cum eo se con-




iunxerit, auferri oporteret. Hoc autem ante coitum, ex quo malum plerumque contrahitur, fieri non possit, primae illius indicationis perficiendae ne possibilitatem quidem quispiam ostendit.

Alteram vero, quod attinet defecere sub laboris onere, quotquot eidem humeros suos submisisse audiuius: nec mirum plane: defecere, etenim poenitiore huius mali notitia destituti, defecere itidem a praeposteris suppositis ad praepostera quoque delapsi. Quidni enim persuasam sibi acredinem ope alterius aduersae in medium commutare, noto mercuriali antidoto vim vi repellere, aut chemicis omnino processibus, atque mercurii admixtione malum solari praesumpsissent, nisi naturam sub larua iudicassent, sub qua quisque eam sibi comparere iusserat. Detraxit illi hanc accuratiori longe observationum studio felicior aetas nostra, & faniora hodie principia nobis suggerit, quibus multo potentius contra hostis huius machinas armemur.

Si grassans in muco virus non nisi mucosarum alterius partium contactu communicari potest. §. VI. Facile quoque intelligitur, remoto ab iis partibus muco remoueri pariter ipsius communicationis periculum.

At: quam parum sine muco exerceri coitus potest, extra quem tamen rarior communicatio



tio esse solet, tam impossibile quoque est, muc-
ci remotione ante coitum praecaueri infectio-
nem.

Porro, vtut prompta, & facilis sit illa cor-
ruptionis inter mucum communicatio, partici-
patioue, tam mature tamen eam irritatio non
insequitur, atque ipsa, quae mali effectum ad-
huc intercedit mora, remedio locum facit.

Virus sine mucu agere non potest §. VI.
mucum ergo, si ab occupatis in coitu partibus
paulo post sustuleris, suffocasti hostem longe
terribilissimum.

§. XI.

Noui ecquidem; non sine graui doloris sen-
su eas corporis partes consueto mucu carituras,
arte itaque defectum suppleri, & donec ipsa na-
ra iterum puriorem mucum segregauerit, alium
interim studiose subministrari necesse est.

§. XII.

Alcali *n*) animale mucum, insigniter de-
struit, iisque tanto magis aduersari deprehen-
ditur, quantum addito calce acrius redditur.

B 3

Acrid-

n) *Alcalina* dicuntur, quae vrentem linguae acri-
moniam imprimunt, caerulescentes vegetabilium
succos viridi colore tingunt, cum salibus acidis
efferuescunt, & cum iisdem salia media consti-
tuunt



Acrimonia autem haec, etsi mire per causticitatem intendatur, eum tamen in humana corpora agendi modum minime obseruat, quem Clar. WAAREN o) perperam eidem affingit. Dum enim solidas corporum partes eius contactu roborari, maioremque inde secretionem, & excretionem prolici existimat. Falso hoc fretus supposito, cum attenuato muco, commixtum quoque eidem virus vna simul abductum iri temere sibi persuadet.

Receptum hodie medicis principium habetur, alcalina omnia, ne dicam caustica, quocumque demum modo diluta, aut obuoluta offerantur, irritare: irritare dico, non roborare, geminas enim vires gemini effectus a se inuicem longe diuersi exposcunt. Taceo, quod secretioni huic, excretionique promouendae ne quidem sufficiant roborantia, satis, & abunde vero id praestent, quaecumque ad irritandum conferre solent; etsi porro haec ipsa secretio, aut qualiscumque demum excretio mucum, in quo veneni radicem delitescere comperimus, neutiquam satis attenuaret, expelleretue, nisi
insu-

tuunt &c. Quodsi admoto igne non auolent, *Fixa* audiunt, quæ vero maiori adhuc vi corporis humani partes vrere, rodere, aut omnino consumere assuescunt, *Caustica* sunt.

o) Vide criticam dissertationem Doctiss. Collegae Gall.

insuper longe alia , eaque singulari prorsus virtute alcalina in illud agerent , mucumque , ac vna simul veneni sedem disturbando maligno hosti euadendi viam aperirent.

§. XIII.

Alcali causticum , siue lixiuium saponariorum , tantae aquae copia dilutum , vt , si ore recipiatur , & gargarizando iterum eiectum illud obrigescere faciat , ac mucum vna secum absque irritatione abripiat , praestantissimum illud remedium est , quo post suspectum concubitum a periculosissimis vltriciis mali insidiis praemuniare. Dummodo tergiuersantem hostis non praeoccupet , & abluendis paulo post mucosis partibus tamdiu instes , donec easdem obrigescere , & moderato dolore ademptum mucum conqueri senseris.

Muci ablati defectum decocto mucilaginoso v. gr. feminis lini , aut hordei mucilagine , cui recens butyrum admiscebis , supplere fas est.

Quodsi prima statim vice abluendo fatisceris , opus neutiquam est , vltiori molestia illud itidem repetere.

In viris porro glandem , & praeputium memorato lixiuio ablui , atque iniecta , ope siphonis , modica in vrethram quantitate inguina dein , femoraque turgente ab eodem lixiuio spongia probe emundari oportet.



In faeminis vero inguina, femora & pudenda per impraegnatam eiusmodi spongiam depurgari, eandemque in ipsam demum vaginam per eius orificium intrudi necesse est. Si quae vero nimiam orificii dilatationem pertimescant, lixiuium ope siphonis pudendo suo canali iniicere fatagant.

§. XIV.

Statim vero, postquam venereum miasma in corpore tuo susceperis, aut saltem eo mox die, quo prima eius vestigia in infectis partibus deprehenderis, seclusa omni mora, & tergiuersione, ad incomparabile alcali lauacrum confugito. Diutius si tecum ipse triceris, & mucosus iam intimius unitum virus ad lacunarum, cryptarum, glandularumque mucosarum ima descenderit, incassum tunc alcali miracula suspires, & quo, ne aditus quidem pateret lixiuius, salutiferos eiusdem effectus ibi frustra expectes.

§. XV.

Quodsi contra statim omnia probe depurgata fuerint, luculenter patet, nullum iam affectum, morbumque amplius esse metuendum, quia viru vnicum mucosus destructo, affectuum, morborumque causa omnis una simul cessabit. At vero: si Leucorrhoea inchoata iam fuerit, & mucus puriformis ex vrethra virili, aut ex
vagi-

vagina muliebri vel vt in spuria fieri amat , ex corona balani , & superficie interna praeputii siue quacumque demum scaturigine ex sinu vulvae destillare inceperit , virus vnacum mucu eneruari , eluique adhuc se finit, dummodo in principio statim infecti muci ablutioni matura opera impendatur.

§. XVI.

Insuper habitis autem hisce omnibus , iterato monito praecipue inculcatum velim , principiis mox esse obstandum , atque nimia medicinae dilatione , malo vires augescere nefas esse. Quisquis enim infecti muci ablutionem eousque differre praesumeret,donec mucosarum partium irritatione periculosa affluentium humorum accumulatio , atque inchoanda iamiam inflammatio proliceretur , temerarius saluberrimi remedii tentator is mihi audiret potius , quam prouidi consilii iustus executor ! quin quod palam assero , tam parum salutare alexiterii huius effectus eidem experiri darentur, vt poenas adeo, morosae tergiuersationis suae , aucta mali vidaturum praeuideam.

Tardiori longe opera praestabit natura,quod promptiore artis subsidio fuisset confectum,praeuere huius est , & quod nunquam non facilius audiit , hoste nondum viso , eius minas praeuerrere. Praeuertit eas vero egregie, dum promouendae fecus inflammationi matura ope



eandem resoluendo sese opponit, aut natura duce corruptum, atque a nimio humorum affluxu attenuatum iamiam mucum abluendo adimit.

§. XVII.

Vbi porro ex naturae ablutionis defectu partes obfcoenae, vel aliae quaecumque epithelio testae, aut a materie Leucorrhoeica eas aluente, aut a viru immediate illis applicato irritantur, ac largiori humorum affluxu epithelium in vesiculam miliformem transparentem eleuatur, quae, vbi disrupta fuerit, vlcuscula monstrat lardacea.

Remedii hac in re aliud nihil superest, quam vt statim a disrupta isthac vesicula alcali caustico, lapis chirurgorum dicto, vlcuscula adurantur, & fixum ea in sede virus suffocetur.

Vlcuscula dein adusta, qua talia secundum leges chirurgiae generales depuranda, sananda.

§. XVIII.

Supina autem prorsus negligentia, isthaec omnia intermittas, resorptum a tunica adiposa virus in vasa lymphatica deriuari, moxque inde per vasa absorbentia ad glandulas inguinales transire continget.

Glandulas istas totidem quasi propugnacula diceres, quae collectam vnde vnde demum acrimo-

moniam fegregant, naeue ea puro adhuc sanguini mifceatur, impediunt.

Natura eas propterea innumeris fere nervulis ftipare, & acutiffimi plane fensus effe voluit: vnde eft, vt receptum a fe venereum virus haud quaquam amplius dimittant, fed inflammationem prius, fuppurationemque fufstineant.

§. XIX.

Eo iam deuentum aliquando fi fuerit, fruftra tunc ab arte praefidium implorare, aut quibuscumque demum alexiteriis inualefcens in momenta malum reprimere fatages.

Natura in formando plerumque, & opportuna virulenti puris dilutione, eliminando vlcere fuppuratorio praefito eft. Ars vero non nifi fuppurationem promouere, aperire tumorem, & vlcus emundare potefl. Sanare id ipfum itidem naturæ officium exquirir.

§. XX.

Porro, vbi cellulofam cutis telam a recepto miasmate ita disturbari contigerit, vt in varias formas excrefcere, & funeflos paffim ramos in corpore explicare pertendet; ibi enimvero non nifi rigore res abfoluitur, & ferro opus eft, quo in mali radicem eo vsque indagetur, donec fana caro fuccefferit. Ferreos autem fi conatus perhorrefcas, inuocandum prae caeteris erit alcali caufticum.

§. XXI.



§. XXI.

Postremo denique, si in ipsam sanguinis massam infanda pestis iamiam penetrauit, indeque affini mucro permixta has, illasque amicas pariter mucro partes obsidendo, acerrime easdem irriter, nec non inducto tumore, & excitato vlcere grauissimis doloribus exagitet, vltimum adhuc afflictis remedium superest Mercurius.

Is insuperabili astu vlcerosae veneri pabulum suffurari, eandemque ex purulento nido suo felici prorsus successu eiicere adhuc nouit. Quomodo autem tam dextre partes suas peragat, hucusque anxios nos esse haud voluit, contentos fore ratus, quod, sua industria orbem seruauerit.

§. XXII.

Consideratis iam omnibus clarissimorum, atque omni exceptione maiorum virorum dictis, perpenſa ipsius etiam religionis non tam indulgente licentia, quam stimulante praecepto, quod de diligendo, de subleuando videlicet, & in prosperis aequae, ac aduersis integre conseruando proximo seuerissime commendat, quisnam de ingenuae prophylaxis nostrae irreprehensa prorsus libertate dubitet? quis de eius demonstrata plane, & omne procul dubium excludente possibilitate controuertat, postquam celeberrimi, fidelissimique viri indefesso labo-

labore, sudore, ac industria in id duntaxat inuigilarunt, vt inumeris fere experimentis, quorum felicissimus successus loquitur, nouissimi inuenti fidem explorarent. Quisnam denique, quem infelici sorte sua mala pestis afflauerit, quisnam ex omni infectorum numero magnas illas expensas, dolores, molestias, quis ipsius famae, & honoris sui periculum non grauius aestimet, quam vnus horae breue incommodum, & aequae leue tam doloris, quam aeris impendium?

Ecquid minus iusta prudentum liberatione me mansurum existimem, quam quod aequissimi rei iudices absque proprii emolumenti spe cum Celeb. DE HORN statuere? Quemnam tandem ex omni eorum numero, ad quos haec charta perueniet, tam ingratum fore praesumam, ut non tam debitae mihi gratitudinis, quam propriae conscientiae immemor tradita a me, non vindicis scelerum poenae, sed innocentis periculi prophylaxi abutatur.

Poeniteat me enimvero laboris mei, eumque in praelum reuocare, & disturbare optauero, si propudiosae veneri, cuius facibus pestilens oleum adimere cogitabam, fumosi cineris flabellum leuasse me resciam! at vero: quid etiam leui halitu suo infamem vndique venerem apud eos effecturam existimem, qui a potenti flatu vltrices flammam continuo exaestuare pernoscent?

Non



Non latuere me hic loci inutiles tot doctissimorum, caeteroquin virorum conatus, quibus diu, multumque de pestiferae luis patria inter se rixatis primum eiusdem domicillium iam in noui, iam in veteris orbis fundamento apparuisse persuadebatur. Superuacaneus mihi labor visus est, horum tricis inhaerere, &, si quidem simile cum iis fatum hisce paginis instare praeuiderem, huic plane, quod praesens mihi fluit, momento parcerem. Absit vero, ut omnibus propterea me satisfacturum censeam, cum eodem facile tempore, quo praesentem dissertationi meae scopum fixi, non vnus medici querelas praefagiens mihi animus vaticinatus sit. Potissima multorum occupatio in curanda lue perstitit, & forte non vnus ex sublati veneri pullis, atque ex laboriosius ablato eiusdem pabulo alimentabatur. Verum etsi debita status mei obligatio praestantissimum hoc medici officium mihi non perstringeret, etsi amara illa tot innocenter infectorum forte non tangerer, etsi ipsa denique religio id neutiquam a me exposcere videretur, vel sola naturalis aequitas mihi sufficeret, ut tot miseris succurrem, qui, quanto innocentius hanc labem contraxere, tanto certius ex pudore, & modestia eadem essent perituri. Eandem naturae vocem ipse Ethnicus CICERO audiuit, quam libro I. de officiis cap. VII. omnibus fatis clare obtrudit: “ Homines hominum causa sunt generati, ut
„ ipsi

„ ipsi inter se, alii aliis profint, & in hoc natura ducem sequantur, communes utilitates in medium adferant &c. „

Erit autem fortasse, qui iustos temperantiae limites me excessisse, & quod omnino extirpandum virus aliquoties dixerim, simplicis remedii viribus nimium me arrogasse buccinet.

Verum docui ego, quod clarissimorum virorum auctoritate suffultum, quod legitimis conclusionibus ex ratione deductum, quod secura satis experientia diu, multumque comprobatum noui. Primum quidem nemo mihi in dubium vocauerit, cui, quid sententiae Clar. WAAREN, & MEDERER hac de re sedeat, exploratum erit. Alterum contractis quasi in pugnum argumentis, quae in praecedentibus paulo fusius attuli, ex gemina fere illatione depromitur. Virus sine mucro agere non potest, §. VI. quidquid ergo destruit mucum, destruit actiuitatem virus venerei, §. X. Alkali destruit mucum §. XII. ergo destruit virus venerei actiuitatem.

Experientiam vero, quod attinet; immisum etiam in sani hominis vrethram virus, & in primarios paulo post affectus, morbosque suos exiens felici prophylaxis nostrae miraculo iterum suffocatum, ac extinctum fuisse stupens hodie Lutetia enarrat. Quae cum ita sint: & propositi a me alexiterii virtus porro impugnari haud possit, ecquid tam operosa ratiocinationum mole opus est, ut non tam propulsanda,



da, quam delenda funditus vagae veneris lues intelligatur? Nulla enimvero corporis deustatio ibi pertimescenda, vbi maturata ope, & consilio tollendae irritationi fuerit prospectum, nulla leucorrhoeae infestatio vel a longe ominanda vbi prompta lixiui nostri iniectio aut vrethras viriles, aut vaginas muliebres a turpi viru depurauerit. Nullis denique ex memoratis omnibus, iisque pessimis plane, materiae leucorrhoeicae effectibus quemquam affliget, si modo inguina, femora, & pudenda prophylactico nostro alcali probe demundare tergiuersatus non fuerit. Nihil ibi infestum virus turpi inflammatione in corpus moliri poterit, vbi propius eidem applicari non permittetur.

Nihil in ablutis exulcerationis vnquam producet, cum pestiferae eius causae omnem aditum iam intercluseris, nihil denique canceri, bubonis, aut excrescentiarum corpori tuo vnquam imminebit, si virulentam materiem a vasis absorbentibus sedulo prohibueris.

Mihi vero, vt praefixum dissertationi meae finem assequar, aliud iam non superest, quam vt ex allatis hucusque motiuis, id, quod cuique pronum erit concludere, adhuc apponam. Praemunitis nempe, atque defensis primariis, per quas virus ingreditur, portis, ipsius quoque luis venereae assultus omnes non modo felicissime eludi, sed & eandem, dum ab omni hominum consortio vel a longe prohibetur, ab alcali, velut ab infestissimo sibi hoste funditus proscribi, atque deleri, ita vt alcali verum, & infallibile luis venereae prophylacticum, imo destructiuum esse nemo sanus impugnauerit.

F I N I S.



THESES MEDICAE.

I.

Auctoritas magni HIPPOCRATIS in medicina Chirurgica maxima, in medicina Clinica saepe dubia, in arte Obstetricia minima, imo plane nulla est.

II.

Velle, ut quisque in republica civis medicus sit, perniciosius est, quam medicos omnes ex eadem expellere.

III.

Anatome nimium subtilis in medicina doctores subtiles, & practicos meticulosos fecit. Anatome vero plane nulla nihilominus doctores, sed practicos audaces, & ob audaciam non raro fortunatos, *audaces fortuna iuvat*, monstravit. Huius generis saeculum nostrum praeteritis multo delicatius quam plurimos creat.

IV.

Botania, & Chemia sunt partes historiae naturalis, & physicae experimentalis, adeoque potius ad philosophiam, quam ad medicinam referendae. Oportet autem medicum omnino philosophum esse.

C

V.

V.

Physiologia, folis mechanicis legibus superstru-
cta, fallibili prorsus fundamento innititur.

VI.

Tunicæ cellulosæ proprietates omnes nondum
noscimus, eas tamen noscere tantum interest, quan-
tum cuiusvis alterius partis generalis in corpore ani-
mali: plurimorum enim morborum non modo sedes,
sed & organum nutritionis est.

VII.

Tunica cellulosa inflammata dolet. Ergo ner-
uos habet.

VIII.

Inflammationis causa proxima est irritatio. In
inflammatione incipiente obstructio plane nulla exi-
stet, quæ, si accedit, inflammationem irresolubilem
reddit.

IX.

Non datur medicamentum in sensu stricto, quod
spiritus per vigilias, aut labores deperditos restauret,
tumores resoluat, vulnus consolidet, pus generet,
cicatricem callum fabricet, menses, lochia, prouocet,
partum promoueat, dolores partus excitet, aut par-
tum ipsum faciliat lac ad mammas alliciat, aut ab
eis repellat &c. Opera naturæ hæc sunt, nec ar-
te plus vnquam proficitur, quam vt posita naturæ
impedimenta tollantur e medio.

X.

Virus cancrosum in Scyrrhomate generatur, vn-
de Carcinoma, & hoc disrupto Cancer.

XI.

XI.

Virus cancrosum ex carcinomate, vel ex cancro absorptum, atque ad loca itidem aequae opportuna deuectum, ea inficit, & in Scyrrhoma, Carcinoma, Cancrum similiter conuertit.

XII.

Virus cancrosum specificis hucusque laudatis destrui: iis quidem, qui hac in re experientias suas allegant, fidem haud negamus, nimia tamen, quam in illis ponunt, fiducia plures interfectos, quam sanatos fuisse, facili negotio affirmamus.

XIII.

Extirpatio canceri locum amplius non habet, ubi virus cancrosum ex prima fabrica sua absorptum, & generali humorum massae immixtum fuerit.

XIV.

Ad extirpationem acies causticis praeferenda.

XV.

Praeceptum rotatio, quam ab HIPPOCRATE plurimi obstetricantium ad haec usque tempora nostra somniarunt, vana prorsus est: & ratio non minus, quam obseruatio testantur, infantem ab initio grauiditatis ad partum usque semper insistere capiti.

XVI.

Infans igitur capite praeuio, vertice in axin peluis, facie ad latus vnum, alterumue, saepissime ad sinistrum, semper magis retrorsum, quam antrorsum versa, ingreditur.

XVII.

XVII.

Ingressus vero in peluim per planum inclinatum ossis ischii ita deinceps dirigitur, vt facies in curuaturam ossis sacri, occiput vero sub symphisin ossium pubis collocetur.

XVIII.

Sic collocatus, sub arcu ossium pubis a coccyge directus, egreditur.

XIX.

Os coccygis cum osse sacro nullam habet articulationem.

XX.

Infans in partu mere passivè se habet, & fere solummodo a viribus vteri protruditur. Nam praelum abdominale vix notabile quid confert.

F I N I S.





